

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7961

Auteur(s) : Mathieu Renart [particulier]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1259, février

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Mathieu Renart fait donation à l'abbaye de la Trappe de cinq sous tournois de rente annuelle à prendre sur un hébergement sis au Ménil-Renart, et vend à la même abbaye, au prix de dix livres et demie, même monnaie, vingt-cinq sous tournois de rente annuelle assignés sur une pièce de terre dans la paroisse de Sainte-Colombe-sur-Rille.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, I. « Carte de Nocumento », n° XLVI, p. 255-256.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Matheus dictus Renart, salutem in Domino. Noveritis quod ego, pro salute anime mee, dedi et concessi viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, in elemosinam perpetuam, liberam penitus et quietam, quinque solidos turonensium annui redditus, quos assignavi eisdem religiosis percipiendos annuatim in festo sancti Remigii super herbergamentum meum de Mesnelio Renart. Vendidi insuper ego, predictus Matheus, antedictis religiosis, pro decem libris et dimidia turonensium quos habui ab eisdem integre et percepi in denariis numeratis, alios viginti quinque solidos turonensium, quos assignavi predictis religiosis habendos et recipiendos annuatim terminis subnotatis, videlicet: in predicto festo sancti Remigii, decem solidos cum predictis quinque solidis, et in Natali Domini, quindecim solidos, super unam petiam terre sitam in parochia Sancte Columbe super Rillam, aboutantem superius terre Thome Repile et terre Herberti Le Selne et aboutantem inferius terris ad Brueres, et adcostantem ex una parte terre quam tenet mater mea in dote ; que terra juncta est terris predictorum religiosorum et adcostat ex altera parte campo meo de via Monasterii. Et habebunt et tenebunt antedicti religiosi predictos triginta solidos, scilicet quinque solidos datos in elemosinam et viginti quinque solidos venditos, libere penitus et quiete in perpetuum, terminis supradictis. Et, si in predictis terminis vel in aliquo eorum deffecerimus ego vel heredes mei a solutione predicti redditus, ipsi facient justitiam suam in predicto herbergamento meo et in predicta terra mea pro habendo predicto redditu, cum emenda decem solidorum turonensium. Et, si infra quindecim dies a predictis terminis vel uno eorum, ego vel heredes mei deffecerimus a solutione redditus supradicti et predictae emende, tota predicta petia terre, prout superius dividitur, ad dictos religiosos deveniet ad faciendum suam penitus voluntatem. Et sciendum quod si predicta terra ad dictos religiosos pro deffectu solutionis predictae, ut dictum est, devenierit, et Mabilia, uxor mea, in eadem terra dotem petierit, ego assignavi eidem et dedi predictum campum de via Monasterii, ut habeat illum et teneat, quoad vixerit, pro dote sua terre superius notate. Et, ut hoc maneat firmum et stabile in perpetuum, ego dedi predictis religiosis presentes litteras, sigilli mei munimine roboratas, per quas obligavi me et heredes meos et omnia bona mea, mobilia

et immobilia, ad garantizanda firmiter et fideliter agenda et tenenda omnia supradicta, et predictos religiosos indempues super hoc penitus conservandos. Ego autem, Haoyisia, domina de Bosco Lamdri, domina capitalis seu feodalis predictorum, omnia ista concedens et confirmans, ad precem et petitionem partium, pro salute anime mee et ut particeps fiam omnium honorum que in predicta domo fient de cetero, ad majorem confirmationem, presentibus litteris sigillum meum apponere dignum duxi. Actum anno Domini M° CC° L° octavo, mense februarii.